

suo vulnerato? potuitne, Q. Fabricio, viro optimo, cum de reditu meo legem ferret, pulso, crudelissima in foro caede facta? potuitne, L. Caecilii, justissimi fortissimique praetoris, oppugnata domo? potuitne illo die, cum est lata lex de me? cum totius Italiae concursus, quem mea salus concitarat, facti illius gloriam libens agnovisset: ut etiamsi id Milo fecisset, cuncta civitas eam laudem pro sua vindicaret?

XV. Atqui erat id temporis clarissimus et fortissimus consul, inimicus Cludio, P. Lentulus, ulti sceleris illius, propugnator senatus, defensor vestrae voluntatis, patronus illius publici consensus, restitutor salutis meae: septem praetores, octo tribuni plebis, illius adversarii, defensores mei: Cn. Pompejus auctor et dux mei reditus, illius hostis: cuius sententiam senatus omnis de salute mea gravissimam et ornatissimam secutus est: qui populum Romanum cohortatus est: qui, cum de me decretum Capuae fecisset, ipse cunctae Italiae cupienti, et ejus fidem imploranti, signum dedit, ut ad me restituendum Romam concurrerent. Omnia tum denique in illum odia civium ardebant desiderio mei: quem qui tum interemisset, non de impunitate ejus, sed de praemiis cogitaretur. Tamen se Milo continuit, et P. Clodium ad judicium bis, ad vim nunquam vocavit. Quid? privato Milone, et reo ad populum, accusante P. Cladio, cum in Cn. Pompeium, pro Milone dicentem, impetus factus est: quae tum non modo occasio, sed etiam causa illius opprimendi fuit? Nuper vero cum M. Antonius summam spem salutis bonis omnibus attulisset, gravissimamque adolescens nobilissimus reipublicae partem fortissime suscepisset, atque illam belluam, judicij laqueos declinantem, jam irretitam teneret: qui locus, quod tempus illud, dii immortales, fuit: cum se ille fugiens in scalarum tenebras abdidisset, magnum Miloni fuit consicere illam pestem nulla sua invidia, Antonii vero maxima gloria? Quid? comitiis in campo quoties potestas fuit? cum ille in septa irruisset, gladios distingendos,